



**Philippi Ecclesiae Eystettensis XXXIX. Episcopi. De
Eivsdem Ecclesiae Divis Tvtelaribvs. S. Richardo. S.
Willibaldo. S. Wvnibaldo. S. Walpvrga. Commentarius
nunc primum evulgatus**

Philipp <Eichstätt, Bischof>

Ingolstadii, 1617

Cap. II. De bonis moribus sancti Richardi in Regno, ac de ortu B.
VWillibaldi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70477)


*De bonis moribus S. Richardi in regno, ac
de ortu B. VVillibaldi.*

*Virtutes san-
cti Richardi.*

Igitur B. Richardus secundum carnem
nobili prosapia ortus, secundum men-
tem verò nobiliori fuit morum elegancia
adornatus. Erat namque S. Richardus spe-
ciosus corpore, & mente pius, in armis stre-
nuus, in bello victoriosus, in iudicio iustus,
in consiliis discretus, pupillorum & vidua-
rum defensor, Ecclesiarum Dei eximius a-
mator, in suscipiendo hilaris, in dando lar-
gissimus, in corripiendo seuerus, in conso-
lando mitissimus. Cumque his & aliis vir-
tutum polleret insigniis, regnum Angliæ
adeo strenuè rexit, ac habenas eiusdem re-
gni tam prudenter gubernando interdum
laxauit, ac quandoque continuit, vt ab om-
nibus hostibus vehementer timeretur; & à
suis miro affectu diligeretur.

Hic igitur B. VVillibaldum futurum
Præsulem adeò charissimum genuit, quem
parentali affectu vnà cum consorte, dolci
enutritione pertractari constituit: & tan-
quam





quam præsciis futurorum, vt blanda edu-
 catione confoueretur, sollicita mente cu-
 rabat. Puer ergo secundum infantialem æ-
 tatem decenti corpulentia proficiebat su-
 per omnes collactaneos dierum suorum,
 ita vt vultu desiderabilis, ac debita disposi-
 tione membrorum aspicientibus delecta-
 bilis censeretur.

*Pueritia san-
 Et Villibaldi.*

CAPVT III.

*De infirmitate pueruli, & eius cura per
 virtutem S. Crucis.*

Ic cùm ætatis suæ tertium salubriter
 peregisset annum, Deo permittente,
 grauem infirmitatem incidit. Nam Deus
 suos interdum infirmari, & infirmitate tri-
 bulari permittit, vt ipsi vel alij per ipso eui-
 denter addiscant, quoniam *Domini est salus,*
 & super populum suum benedictio sua: & quòd
 non debeant homines carnem ponere bra-
 chium suum; ita vt in bona complexione,
 vel opulètia rerum spem suam ponant; sed
 in Deo, viuo & vero. Hæc autem fuit pue-
 ruli infirmitas, quod foeda quædam macies

*S. Villibaldus
 tertio ætatis
 sue anno in
 grauem mor-
 bum incidit,
 psal. 3.*

C 3 inopi-